stamus, ubi mentis oculos figimus. Unde Helias ait: Vivit Dominus in cuius con- Regum.
spectu sto. Ibi itaque stabat, ubi cor fixerat. Quid est autem per columnam nubis
aspicere et in tabernaculi sui foribus stare atque adorare, nisi quod humana mens
cum superiora illa atque caelestia, utcumque in enigmate conspicit, vel claustra ha-
bitationis corporeae per sublevatam cogitationem exit, atque illud humiliter adorat
cuius etsi videre substantiam non valet, iam tamen eius potentiam per illuminationem
spiritus miratur. Et cum Moyses tabernaculum ingreditur, eius terga populus aspicit
et in papilionum suorum ostiis consistit, quia cum sanctus quisque praedicator alta de
Deo loquitur, supernae habitationis iam utcumque tabernaculum ingreditur. Cuius
praedicationis infirmi quique etsi virtutem plene pensare non possunt, tamen
velut terga aspiciunt, quia postrema quae praevalent per intellectum se-
cuntur. Sed in ipsis quoque minimis quae capere sufficiunt, vel de suis papilio-
nibus quasi exeunt atque in ostiis stant, quia et habitacula carnis relinquere
et ad illa aeternae vitae gaudia quae audiunt progredi conantur. Hinc est enim Nota De helia
quod Helias ut vocem Domini audivit secum loquentis audiret, in speluncae suae
ostio stetisse describitur, et faciem velasse. Quia cum per contemplationis
gratiam vox supernae intelligentiae fit in mente, totus homo vel intra speluncam
non est, quia animum carnis cura non possidet, sed stat in ostio, quia mortalitatis
angustias exire meditatur. Sed vel qui in ostio speluncae consistit et verba Dei in
aure cordis percipit, necesse est ut faciem velet. Quia dum per supernam gratiam
ad altiora intelligenda ducimur, quanto sublimius levamur, tanto semper per
humilitatem nosmetipsos in intellectu nostro premere debemus, nec conemur plus Paul.
sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, ne dum nimis invisibilia
discutimus, aberremus, ne in illa natura incorporea corporea luminis
aliquid queramus. Aurem enim intendere et faciem operire est vocem
interioris substantiae audire per mentem, et tamen ab omni specie corporea

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0235